



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Casimirus. 4. Martii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

am. Non es Salomone sapientior, nec sanctior Da-  
vide, qui victi sunt à stimulo carnis. Ubi primum  
flamme minùs pudicæ in corde tuo accendentur,  
cas protinus cogitatione flamarum æternarum  
restingue. si flamma luxurie in ossibus astuat; proti-  
nus illam memoria aeterni ignis extinguat. Damian.

## S. CASIMIRUS.

4 Martii.

*Beati mundo corde, quoniam ipsi  
Deum videbunt. Christus. Matth. 5.*

CASIMIRUS Casimiri Regis Poloniae filius  
necdum Ephebis egressus, in ipsa jam  
adyta Sanctitatis est ingressus. Coronam  
Ungariae quanto alii studio vel ambire vel  
rapere solent, tanto ille repellere à capite suo  
adlaboravit. Summā hieme nudis pedibus  
noctu tempa obibat, purpura non corpus,  
sed cilicum tegebat: somnum humi capie-  
bat, gnarus, nusquam alibi tam securos  
castitatem somnos dormire. His studiis oc-  
cupatum morbus invadit. Lamentantur pa-  
rentes; illacrymatur aula; adgemiscunt regna.  
Circumstant interea lectulum medicorum  
turbæ, medicinam facilem Nuptias suadent,  
concessam ægro voluptatem. Sed noluit ille  
vivere,

\*o). 10. 10\*

Vivere, nobilissimā animæ parte, Virginitatem emortuā. Itaq; ne non virgo moreretur, juvenis moritur, dignus qui in omnium ore ac calamis vivat. Et verò vivere etiam post mortem Poloni compererunt, cùm candidissimo equo in vectus contra Mœschos móventibus Dux adfuit, & traductis per aquas compendium ad nobilissimam victoriā monstravit. Quin cùm anno obiisset à pariente VIRGINE \* M. CCC. LXXIII. anno deinde M. DC. IV. corpusculum Virginum unū cum versibus, quos in laudem VIRGINIS panxerat, secumque tumulo inferri mandaverat, integerrimum est repertum. Legant hoc ii, qui insuper habent mactare quotidie castitatem; cui tamen mors ipsa non nisi volenti vim facit, quin mortuæ etiam timet manus inferre;

*Ex vita,*

## M E D I T A T I O

### *De Peccato.*

¶. **P**ecatum est summum hominis malum, illudq; homo vitare debet, quovis labore, & quovis damno. Tibi itaq; certum fixumq; sit, dignitates, sanitatem, & quidem vitam ipsam potius amittere, quam ut vel unum committas mortale peccatum: & voluptatum causâ Deum offendis? 2:

2. Non mortale modò, sed & veniale peccatum, quālibet jacturā, vitare debemus, quia veniale peccatum displaceat Deo, ipsumq; offendit. Communis est Sanctorum sententia, interitum hujus mundi nihil esse ad veniale peccatum. An in eadem es sententia? Quot singulis diebus venialia committis peccata? Cave, leviores morbi ad graviores deducunt. Nullum unquam quantumlibet parvum peccatum consultò committas, monet enim S. Chrys: Ne illud parvum negligamus, quod cird neglegendum sit magnum.

3. Non sufficit peccato tūm veniali tūm mortali abstinere; quoad ejus fieri potest, resecare debes minima quæq; vitia, & ipsa Christi consilia sequi, exemplo sancti Casimiri, qui Evangelicum castitatis consilium vitæ suæ ant posuit. Quām longè abes ab observatione consiliorum, tu, qui vix mandatis obtemperas? Qui non facit, quod iusit Dominus, gratis sperat, quod promisit. Chrysol.

## S. PHOCAS M.

5. Martii.

*Qui parcè seminat, parcè ē metet, ē qui seminat de benedictionibus, de benedictionibus ē metet.*

S. Paul. 2. ad Cor. cap 9.

**S**PHOCAS olitor erat, sed studiosius ac diligentius animam tuam, quām hor-